

III 1725
2.
P

Entecostales feriæ, quas hodie celebrat sancta Christi Ecclesia, cujus & nos membra omnino sumus, nec ab eadem unquam nos exclusos cupimus, ansam porrigunt iterum de *Spiritu S.* pro nostrâ facultate meditandi, commentandi, scribendi atque dicendi. Equidem pro eo, quem DEO meo ejusque sanctissimo Spiritui debeo, cultu *quater* atque *vicies* illud ipsum egi, quum & mihi drachmula contigerit non defodienda, sed lucro exponenda: quamquam interim omnino assurgam *Paullo apostolo*, ejusque censuræ, quam habet in *epistola ad Philippenses capituli tertij versiculo septimo* & sequentibus, lubentissimo animo meipsum subjiciam.

Quia verò Programmate potissimum CCCXVII. quantum quidem recordor, vocabulum *Spiritus* ita consideravi, ut varias ejus significationes, juxta *Matthie Flacii*, *Chemnitij*, *Salomonis Glassii* & aliorum manu ductionem, attulerim: nunc illos tantum locos enotabo & percurram, quos sanctum suppeditat Psalterium (quod nuper adeo in voce *cornu* observavi Progr. CCCLII.) Neque levem quis hanc putet aut inutilem operam, ut quæ se tueri valet autoritate magni illius & incomparabilis Doctoris *Martini Chemnitij* in *Locis Communibus* graviter censentis, hanc de variâ acceptione vocabuli *Spiritus* notationem hunc quoque usum habere, quod præcipua pars refutationis Macedonianæ (Macedonius Episcopus Constantinopolitanus *divinitatem Spiritus S.* negavit, unde *πνευματομαχον* nomen invenit) sita sit in distinctione diversarum significationum vocabuli *Spiritus*: Totum enim delirium *πνευματομαχον* fuit Fallacia figuræ dictionis, hoc est, ab utebantur illis locis, ubi vocabulum *Spiritus* in alia significatione usurpatur. Ut